

infra tenimentum casalis^a, et tenimentum Carenī, alias petias terrarum in contrata fluminis Admiratus et extra^b portam maris Panormi, aliam petiam terre extra portam Thermarum Panormi usque ad dictum flumen Admiratus, apothecas septem in ruga marmorea, videlicet contiguas subtus fundacum Sancte Trinitatis de Panormo et aliam^c in eadem ruga iuxta apothecam et tabernam Georgii de Tinphano et quamdam misidam in ruga Sarat Barroc prope domum Lombarde, sitam^d in Panormo, et pertinentias eius — que omnia ad manus nostre curie per excandentiam devoluta rationabiliter curia nostra tenebat, prout inventum est per inquisitionem inde de mandato nostro factam et nostre curie presentatam, — eidem magistro Robberto et heredibus suis in perpetuum duximus concedenda, in tantum quod in recognitione presentis gratie nostre, tam per eum, quam per heredes suos quinquaginta unus^e Tarenī auri curie nostre annis singulis exsolvantur^f. Fines vero predictorum tenimentorum casalium sic distinguuntur, videlicet ex parte oriente incipiunt a quodam monte, qui arabice dicitur Sebath, et inde tendit usque ad quendam^g locum, qui vocatur Gasincelor, et abinde protenditur usque ad locum, qui dicitur Balbicamor, et inde vadit usque ad montem Gibibbe, qui ex parte est meridiei, et abinde proceditur usque ad serram montis Colobrini, qui dividit tenimentum casalis, quod dicitur Rahalsith, a tenimento predicti casalis Rahalsarcadii, et a predicta serra montis Colobrini protenditur per serram serram predicti montis usque ad locum, qui dicitur Ceudie Ydavac, qui dividit tenimentum Rahalsarcadii et Capacis a tenimento Carenī, et exinde protenditur usque ad locum dictum Golac, qui est ex parte septemtrionis, et inde vadit usque ad litus maris et ab ipso litore maris intus in mare per spatium duarum aratarum et inde redit usque ad fontem, qui dicitur Aiiusirica, et ad predicto fonte redit per viam veterem inferiorem usque ad gurgum et a predicto gurgu usque ad predictum montem Sebath, qui dividit predicta tenimenta Rahalsarcadii et Capacis a tenimento; et sic concluduntur. De abundantiori quoque gratia nostra concedimus sibi et suis heredibus in perpetuum, ut tam ipse, quam heredes sui sint liberi et exempti ab omnibus collectis, subventionibus et ceteris gravationibus ratione dictorum tenimentorum, terrarum, apothecarum etiam

a) Der Name ist ausgefallen.

b) Fehlt.

c) *alia*.

d) *sita*.

e) *unius*.

f) *exolvatur*.

g) *quodam*.